

*V. CL.*

M. CHRISTIANO FRIDRICO  
BOERNERO,

DE

GRAECIS,

QVI PATRIA RELICTA, SECVLO  
XV. SVAS ITERVM LITERAS IN ITA-  
LIAM INTVLERVNT,

*COMMENTANTI*

M. DANIEL FIDLERVS.

Hist. liter.

415,42



**F**A plerumque rerum humanarum ratio est ac natura, ut nunquam stabili firmoque loco consistent, sed mutationi sint obnoxiae, & vel locum migrent, vel graui casu afflictæ corrumpantur. Quod eo valet, ut intelligamus, Literas quoque vicissitudini expositas esse, versaque fortuna, florum instar languidas nonnunquam ac compressas iacere, & saepius e fundo, in quo constitutam possessionem habent, eiici atque exterminari. Grauiter hoc doces atque confirmas, quando de Græcis, qui patria relicta Seculo XV suas iterum literas in Italiam intulerunt, commentaris & repetitis ab ultimo capite initiis commonstras, quibus cum malis Graecæ literæ eo tempore conflictatae fuerint. Egregium hoc ac laudis plenum institutum est, multamque nec spernendam gloriam Tibi pollicetur, eo magis, quoniam singularem ingenii vim, summumque mentis studium ac literarum exquisitam peritiam indicat, nec obscuris indiciis ostendit, Te ad sum-

ma niti, ac idoneum Humanitatis ac literarum vindicem spondere. Quo ipso dignum Te amplissima, qua prognatus, stirpe praestas, nec congruit non iste laudis ac industriae cursus virtuti, qua Boernerorum nomen usquequaque excelluit, & insignem nec perituram famam sibi conciliavit. Nosti, clarissime Vir, Io. Boernerum, Lutheri aequalem, de quo egregie existimavit Pirckhaymerus, & inter doctissimos suae aetatis Theologos retulit ac iure numeravit. A cuius virtute colorem duxit industria Gasparis Boernerii, qui non sacras solum literas Lipsiae interpretatus est, sed pro Academia quoque ac literarum ornamentis ita curavit, ut testimonio nostro non indigeat, eiusque solertia in multis pulcherrimisque laboribus cernatur. Non commemorabo iam latius de Petro Boernerio, exquisitissimo sacrarum Literarum interprete: Avum solummodo, Georg. Boernerum, insignem Jctum, nominabo, cui vivendi finem mors attulit, at gloriam tot meritis ac benefactis partam, nulla temporum damna labefactabunt. De illustri vero Patre nihil tam magnifice, nihil tam splendide dici potest, quin incredibile animi virtus, ac iustitiae religio, susceptique pro Saxoniae salute labores id omne superent, ac longissime excedant. His summorum virorum exemplis nitentem, haec sequentem vestigia, neque sententia ab iis disidentem non potest

NON

non Te, Cl. Boerneré, gloria optimorumque quo-  
rumcunque plausus ac gratulatio manere. Quibus  
ego iunctus ex animi sententia vota facio ac immor-  
tale Numen obsecro, ut destinata Tua prospere eve-  
niant, novaque laudis seges inde oriatur, quae u-  
berrimos fructus ferat, & copiosissimum labori  
praemium persolvat. Interest quippe reipublicae  
literariae ut rebus florentissimis utaris, idque ego  
vehementer cupio, ac serio exopto, ut illas doctri-  
nae copias, quibus in Anglia Fontaine, in Gallia  
Fontanelle, in Italia Fontanini florent, Tu unus au-  
spicato foedere sociatas referas, nosque adeo in Te  
summi Viri, Martini Geieri, Avi materni, expres-  
sam imaginem videamus. Perpetuo constanter-  
que hic fons scaturiat, nec rivos solum, sed flumi-  
na in amplissimum doctrinae campum emittat, de-  
fendatque literas a vitio ac sordes eluat, neque un-  
quam exhauriatur. Scribebam Lipsiae A. O. R.  
cIo Io cc IV.

